

J. M. Thiele X. S. 1712

37.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
USU FORENSI
LIBRI XIII. DIGESTORUM

QVAM
ANNUENTE DEO
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENB. ET CETERA,

PRAESIDE

DN. SAMVELE STRYKIO, JC^{TO},
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS
CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE PRIMARIO,
ET FACULTATIS JURIDICÆ
ORDINARIO,

IN AUDITORIO MAJORI

D. XVII Decembr. A. O. R. MDCCVII.

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit

CHRISTIAN DAVID SCHROEDER,
SVERINENSIS MECLENBURGICUS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
USU FORENSIS
LIBRI XII DIGESTORUM
AUGUSTINO
VICTORE ACADEMIE MAGNIFICENTISSIMO
D. PHILIPPO WITHELMO
PRINCIPIS BORUSSIAE MARCHIONE BRAN-
DENBURGICO
DE JURE
D. SAMUEL STRYKIO, J. O.
SECRETARIUS C. O. R. M. D. C. C. VII
CONSILIARIUS PRIMARIO
IN AUSTRIA TO. MAIOR
D. XVII Decembris. A. O. R. M. D. C. C. VII
CHRISTIAN DAVID SCHNEIDER
SVETINENSIS AUCTOR
HALLAE MEDITERRANEA
THOMAS CRIVELI



P A N D E C T A R U M

LIBER XIII.

TITUL. I.

D E

CONDICTIONE FURTIVA.

§. I.



Ondictionis furtivæ usum in foris De usu condi-
Germaniæ maximum superesse, ne- tionis fur-
mo dubitabit. tivæ. Quamvis enim

contra furem criminali iudicio ple-
rumque experiamur, nemo tamen
ex illis, qui furtum passus, facile
invenietur, qui non de recuperan-
da re furtiva simul sollicitus sit; quamvis aliquando
hanc citra actionem ordinariam consequatur per visitati-
onem domesticam, aut si illa apud alios inventa fuerit;
interim quandoq; non expedit criminalem furti vindictam
petere, sed sapius rebus meis receptis acquiescere malo,
ubi omnino ad hanc conditionem confugiendum, quæ
eo utilior mihi erit, si res a fure consumpta, & sic ean-
dem brevi manu reperere nequeam *L. s. pr. ff. h. t.*

§. II. Antequam autem hoc ulterius exponam, me- De monitorio
rito hic præmittendum est remedium illud solenne apud pro recupera-
Pontificios frequentatum, ut sub pœna excommunicati- randis rebus
onis moneantur illi, qui res furtivas detinent, aut inju- furtivis,
ste detentorum notitiam habent, ut hoc indicent; de qua
monitoriorum materia in specie egit Petr. Anton. Laza-
rius in *Canon. quest. de Monitoriis seu de excommunicati-*
onibus ad effectum revelandi, cujus materia sedes est
in *Extravag. commun. de furtis.* vid. Leslius de *J. & J.*

▲

Lib.

Lib. 2. c. 30. n. 43. & seqq. quo remedio sapius res suas consequuntur furtum passi, præsertim inter Pontificios, ubi metus excommunicationis magnus adhuc esse solet. Inter nostros idem remedium *Anno 1666.* adhibitum memini, cum grave incendium passa civitas Francosurtana ad Viadrum, & illa occasione multæ res subtractæ essent, ubi aliquot diebus Dominicis monebantur talium rerum detentores, ut DEO honorem exhiberent, & res furtivas confessionario suo restituerent sub fide silentii, sin hoc non facerent, se ipso facto a communione ecclesiastica exclusos esse scirent, & nisi ab hoc peccato per restitutionem se liberaverint, se participes fieri non posse salutis æternæ. *arg. c. 4. & s. de Reg. Jur. in 6.* Sed surdis narrabatur fabula, nemo enim hæc admonitione, unico tantum excepto, qui rem levioris pretii afferebat Ecclesiæ cuidam Ministro, movebatur, ut conscientia sua, imo salutis æternæ rationem haberet. Majoris efficaciam hoc remedium esse solet inter ipsos Judæos, ubi si a Rabbino in Synagoga bannum denunciatur possessori rerum furtivarum, piaculum fore censent, si res illas ulterius ecelent. Non tamen apud ipsos sufficit, proclamationem in Synagoga fieri de indigitanda re furtiva, nisi hoc a Rabbino fiat sub pœna banni.

De remedio
inter Judæos.

An juramentum in hac actione deferri possit?

§. III. Ceterum conditionem furtivam hodie in foro tutissime eligi, certum est, etiamsi quis sufficienti probatione de commissio furto desitutus sit, præsumtionibus tamen quasdam pro se habeat, quæ ne quidem ad inquisitionem, nedum ad juramentum purgatorium sufficientiant. Cum enim hæc conditio famosa non sit, *arg. L. Cessat. 36. ff. de O. & A.* nec pœnalis, sed tantum rei persecutoria ad consequendam rem ablatam *L. 7. §. 1. & 2. ff. b. 1.* nullum dubium superest, quare actor hic non mox contra illum, quem suspectum habet, hanc conditionem

nem

DE CONDICTIONE FURTIVA. 3

nem instituere, & super actione hac ipsi Juramentum Judiciale deferre possit, si ipse paratus sit ad Juramentum calumniae prius praestandum, uti hoc evidenter satis colligitur ex *L. furti 6. §. 4. ff. de his qui not. infam. §. L. 13. §. 2. ff. de Jur. c.* Carpz. in *Process. tit. 11. art. 1. n. 44.* de quo jam supra dictum *Tit. de Jur. §. 29.* Et quamvis reus praestito illo Juramento absolutus forte ad actionem injuriarum recurrere velit, excusabit tamen alterum ab injuriandi animo calumniae Juramentum, quod ipse, antequam alter juraret, praestitit.

§. IV. Datur autem haec conditio Jure nostro soli Domino *L. 1. ff. h. t.* quod tamen non ita rigide capiendum, ac si dominium probare teneretur actor; non enim furi permittendum, ut ille dominii quaestionem moveat, sed hoc, rem suam, sibi que ablatam esse, allegare sufficit, quod eo pertinet, ut si alius praeter Dominum e. g. conductor, vel commodatarius, quibus res ablata, hanc rem condicere velit, hic repellatur: de quo dictum pluribus in *Tr. de Invest. Act. Sect. I. Membr. X. §. 4.* Meier. in *Colleg. Argent. th. 5. n. 1. h. t.* Existimat quidem Groenvegen de *LL. abrogat. ad L. 1. h. t.* hodie, cum non exprimitur, quo genere actionis aliquis experiri velit, non amplius ad certas personas hanc conditionem restringi posse, sed omnibus eam dari, quorum interest: Verum argumentum hoc consequentia nexu laborat. Ut ut enim nomen actionis hodie non exprimitur, attamen factum in libello ita narrandum, ut Judici inde constare possit, quo genere actionis experiri velit actor. Judex enim neminem sine actione condemnare potest, ergo ex libello certus esse debet, fundatam esse actoris intentionem, aut pronuntiabit, *Daß die Klage / immassen sie anbracht / nicht stat habe.*

An soli Do-
mino detur.

Conditio incerta, cui datur?

§. V. Cum autem conditio furtiva alia certi sit, alia incerti, uti apparet *ex L. 12. §. f. ff. h. t.* hæc datur etiam illis, qui Domini non sunt, jus tamen aliquod reale in re surrepta habent e. g. si creditori pignus surreptum sit *d. §. f. & L. 22. pr. ff. de pignorat. Act.* Cluden. *de Condit. furt. c. 28.* Non tamen cum hac condictione confundi debet actio furti, quæ omnino latius patet, & datur illis etiam, qui non jus reale, sed tantum interesse ex contractu habent, seu qui ad rem restituendam vi contractus sunt obligati §. 13. & *seqq. Instit. de oblig. ex delict.*

Conditio hæc datur contra heredes.

§. VI. Conditionem furtivam contra heredes dari, jure nostro in confessio est, quamvis nihil ex rebus furtivis ad heredem pervenerit *L. 9. ff. h. t.* nec interest, an heres adhuc infans, aut plane furiosus sit *L. 2. ff. h. t.* de herede enim furis furioso hæc Lex tantum intelligenda; Non si ipse furiosus vel infans quid abstulerit, contra hos enim non datur hæc conditio, nisi res penes illos adhuc extet; sicut nec ulla alia actio, si forte furiosus ditissimus, vel infans damnum dederit, de quo dictum in *Tit. Si quadrup. injur. fec. dic. §. 2. & 3.*

Fure suspenso conditio non datur contra heredes in Saxonia

§. VII. An vero salva adhuc sit hæc conditio contra heredes, postquam fur laqueo punitus, quantum ad praxin Germaniæ dubitatur? Sane in Saxonia ab antiquo receptum, poena mortis satisfactum censi non modo Republicæ, sed & ipsi parti læsæ. Unde Glossa Germanica ad *Specul. Sax. lib. 2. Art. 35. n. 4.* disertis verbis dicit: *Mit dem tode wettet man zugleich dem Richter und büßet dem R. äger / unde nullus condictioni furtivæ locus contra heredes.* *Carpz. Part. 2. Decis. 190. Berlich. Part. 4. Concl. 19, n. 38.* quod extensum est in *Decis. Electoral. 86.* etiam ad casum, si fur prævia sustigatione in perpetuum relegatus, vel etiam in carcerem tantum conjectus, si in

co

DE CONDICTIONE FURTIVA. 5

eo moriatur, quod tunc, si res furtiva non amplius extet, heres conveniri nequeat. Quod si vero fur, ut ut jam ad patibulum condemnatus sit, morte naturali decesserit, conditio furtiva contra heredes salva manet; cujus rei sine dubio hæc ratio est, quia nullam adhuc sustinuit pœnam corporis afflictivam. Certum itaque manet, conditionem furtivam contra heredes in Saxonia non penitus sublatam esse. *Carpzov Proc. Crim. q. 80. n. 110.* Quod vero attinet Praxin Germaniæ extra Saxoniam, non puto illam a jure Romano discrepare: Quamvis enim Romani pœnam suspendii ignoraverint, nullum tamen ibi vestigium superest, quod crimine quodam capite vindicato, pœna criminalis sive mortis heredes ab actione civili ad reparandum damnum illatum liberet, quia judicium criminale salvo civili peragitur & vice versa. *Vid. Tit. Cod. Quando civil. actio criminali præjudicet. & ibi Dd.* Quod vero rarior in foris nostris hæctenus fuerit conditio furtiva contra heredes furis, expedita ratio est, ob inanem contra illos actionem. Nam si fur tantum in bonis habeat, ut rem furtivam plene restituere possit, non suspenderetur, cum secundum Constitutionem Caroli, non attendatur, quantum ablatum, sed quantum non restitutum, sive uti verba habent: *Wie schädlich der Diebstahl dem bestohlenen gewesen. Constit. Crimin. Art. 160. & seq.* nisi forte furtum cum violenta effractione conjunctum, ubi restitutionis rei furtivæ nulla habetur ratio, sed suspensio simpliciter locus est. *Constit. Crim. Art. 139.* Hic ergo, si fur suspensus bona reliquerit, conditioni furtivæ omnino contra heredes locus erit, in illis foris, ubi jus civile receptum. Et ita etiam hoc anno 1707. Lubecæ furis suspensi heredes ad restitutionem condemnatos esse, percipimus.

Quid extra Saxoniam?

Cui cedat res
furtiva, si Do-
minus non
appareat?

§. IIX. Quod si vero res furtiva quidem deprehen-
datur apud furem, sed ille, qui furtum passus, non adsit,
cui tunc cedat res furtiva in foris Germaniæ, itidem con-
troverfia est? Sane in quibusdam locis Praxis avarorum
judicum eousque prolapsa, ut res furtivas mox sibi vin-
dicent, etiam si paulo post verus Dominus superveniat;
sed hujus rei injustitia apud omnes in oculos incurrit ili-
co: Sic enim afflicto additur afflictio, & ipse iudex, qui
læso succurrere & ut suam cuique tribuatur, curare te-
nebatur ex officio, lucrum ex alieno delicto cum veri
Domini dispendio captat, ut adeo, quod fur clam abstu-
lit, iudex palam rapiat. Sane in *Constitut. Criminal. Art.*
38. perspicue cavetur, ut in casu furis fustigandi vel re-
legandi ante omnia satisfiat furtum passio, daß vor allen
Dingen dem beschädigten der Diebstahl oder Wehrt dafür/
so es in des Diebes vermögen ist / wiederum werde. Et cla-
rius adhuc in *Const. Crim. Art. 207.* iudicibus injungitur
restitutio rerum furtivarum, Carpz. *Pr. Cr. Q. 80. n. 11.*
In specie autem illa consuetudo, in qua plerumque se fun-
dant rapaces illi iudices, vocatur eine böse unvernünftige
Gewohnheit / welche aus Käyserl. Macht daselbst auff-
gehoben / vernichtet und abgethan worden. Equidem
jure Saxonico veteri tum demum Magistratui res furti-
væ assignantur, si intra annum & diem Dominus non ve-
nerit, & illas repetierit. *Spec. Sax. lib. 2. Art. 31.* cum quo
concordat jus Suevicum *c. 21. fol. m. 47. edit. Meischneri.*
hac tamen subjecta limitatione: es sey denn daß jene ehe-
haffte noth lege / quo ipso sine dubio succurritur vel i-
gnoranti, ubi res furtivæ sint, vel aliter legitime impe-
dito, quo minus rem suam repetere non potuerit: Est
enim odiosa hæc præscriptio, in qua non difficilis sit ju-
dex, si bonus vir esse velit, in admittenda excusatione;
nec credo Saxones hic secure ad consuetudinem suam an-
tiquam

Quid iure Sa-
xonico veteri?

siquam provocare posse vel debere, postquam Lege Imperii universali illa ut irrationabilis rejecta est. *Const. Cr. Art. 218.* Contra quam Constitutionem Saxones protestatos fuisse, nullibi apparet. Quid si vero Dominus rei furtivæ penitus non compareat? tunc admitti posset decisio juris Saxonici in *Spec. lib. 2. art. 31.* ob sich da binnen Niemand dargu zeucht / nach Rechte / so lehre es der Richter in seinen Ruch. Non enim dissimilis hic ratio subest, quam rei inventæ, si de domino non constet, quæ jure Saxonico cedit Magistratui, parte etiam inventori relicta; modo tamen notificatio publica, an aliquis sit, cui hæc res furto ablata, non omittatur, *Carpz. P. 2; C. 3. d. 15.* quæ notificatio, cum ordinarie negligatur, non liberabit se iudex ab illicita rei alienæ occupatione.

§. XI. Singulare quippiam hic occurrit in Jure Lubecensi circa furem fugitivum, quod si quis eundem persequatur, & fur ex rebus suis quid derelinquat, hujus tertiam pars assignatur illi, qui furem persecutus est, duæ tertiae autem cedunt Magistratui. vid. *Jus Lub. lib. 4. Tit. 1. art. 2.* Verum hoc non extendendum est ad res ipsas furtivas, furi fugienti ablatas; hæ enim vero domino restituentur, nec quicquam iudicio ex his adjudicandum. *Mevius ad d. Artic. 2. n. 4.* nisi forte furtum passus, ex illo locoriundus sit, ubi bona furtiva sibi vindicat magistratus, tunc enim jure retorsionis uti licebit, per *d. art. 2.*

§. X. Porro & hoc singulare est, quod Jure Lubecensi quis equum furtivum a quarto possessore vindicare nequeat, si hunc bona fide emerit, & probare possit, equum jam tum per manus trium possessorum, qui habiles fuerunt ad evictionem præstandam, ad se pervenisse. *J. Lub. L. 4. Tit. 1. art. 3.* quod statutum, tanquam valde irregulare *Mevius in Comment. ad d. art. 3. n. 4.* restringit ad solos equos furtim ablatos, non ad res alias furtivas, quod facile admit-

Quid si Dominus plane non compareat?

De rebus furis fugitivi ex Jure Lubecensi.

Jure Lub. a quo a quarto possessore non repetitur.

De domini
probatione.

Ostenditur
contrarietas
Iuris Lube-
censis.

An juramen-
tum ad proba-
tionem domi-
nii sufficit?

admitti potest, ob *L. 14. ff. de LL.* Quid si autem possessor quartus præcedentia requisita probare nequeat, actor quidem, quicquid furtivum repetit, non necessum habet, ut dominium suum probet, quod quidem alias vindicanti incumbit, *L. 23. ff. de R. V. Carpz. lib. 1. Resp. 76. & 77.* sed sufficit, si probaverit, quod equum tanquam suum in stabulo aluerit, & se ignorante ablatum sit, aut ex possessione ejus ipso inscio pervenerit, nec interea eundem iterum viderit, quo casu ipsi restituendus est equus, per *d. A. 3.* Interim quod de dominio non probando in *A. 3.* dictum, illi non parum resistit *Art. 6.* ubi rem furtivam a tertio repetens, dominium per duos testes, & quod res ipsi furto ablata sit, probare tenetur, aut si hoc per testes efficere nequeat, juramento suo hoc docere debet; cum tamen in *d. Art. 3.* si res à quarto bonæ fidei possessore repetatur, putativum dominium allegare sufficiat: quæ loca commodam conciliationem non admittunt, nisi *Artic. 3.* iterum ad equos furtivos restringas; hoc tamen singulare manet, quod deficientibus testibus solo actoris juramento probari possit dominium: quæ sententia contra tertium b. f. possessorem omnino dura est, non enim omnibus æque sancta est jurisjurandi religio. Licet Mevius in *Comment. ad d. A. 6. n. 17.* existimet, hoc, quod in Jure Lubec, singulare esse videretur, scilicet, credendum esse jurato asserenti, rem furtivam suam esse, etiam alibi communi Dd. calculo esse approbatum, ubi allegat *Mascardum de Probat. Conclus. 883. n. 1. & 5.* qui hanc sententiam admittendam dicit, tum *propter difficultatem probationis,* tum *propter odium delinquentis.* Verum ultima ratio contra furem militat, non contra tertium bonæ fidei possessorem. Prima autem ratio sufficiens non est, ad possessionem bona fide quasitam alteri auferendam, sed hic obtinebit vulgatum illud; Tibi non jus deficit, sed probatio.

DE CONDICTIONE FURTIVA. 9

tio. L. 30. ff. de Testament. Tut. & astore non probante reus absolvitur L. 4. C. de Edend. Hoc tamen admitto facile, si constet, illum qui furtum passus est, rem tanquam suam possedisse, & conjecturæ quædam dominii concurrant, judicem non debere difficilem esse, in admittendo juramento suppletorio.

§. IX. De cetero furtum passio hypothecam tacitam concedunt in reliquis furis bonis pro consequenda reparatione damni & interesse, vigore cujus in concursu Creditorum aliis Creditoribus antiquiorem hypothecam non habentibus præferri possit; quod communi Dd. calculo comprobatum esse, dicit Carpz. in Pr. Crim. q. 80. n. 119. a quo tamen recte dissentit Dn. Lauterbach. in Colleg. Theor. pract. ad ff. th. 15. h. t. cum tacente Lege hypotheca tacita induci non possit; imo nec debitor furtum patrando Creditorum suorum causam deteriore red- dere potuit, licet tantum Chirographarii sint, cum & his fiscus postponatur, L. 17. ff. de jur. fisc.

An detur hypo-
theca tacita
in bonis furis?

TIT. II.

DE

CONDICTIONE EX LEGE.

§. I.

Hæc conditio inventa est in hunc finem, ut si lege nova obligatio aliqua ad quid præstandum intro- duceretur, vel saltem inefficax obligatio vim novam ac- ciperet, nec tamen, quo genere actionis agi deberet, cautum esset, ad hanc recurri posset. l. un. h. Equidem Groenvegius ad h. t. negat, in judiciis nostris nomen hu- jus actionis frequentari, sed si vel maxime concedamus nomen non frequentari, eo ipso tamen rei ipsius usus non statim potest negari. Imo recte statuit Huber, ad h.

Conditio ex
lege in quem
finem inven-
ta?

De usu hujus
actionis.

B

t. §. 3.



f. § 3. cum nulla Respubl. vel civitas sit, ubi non sapienter novæ leges ferantur, hinc nullam conditionem majoris & liquidioris usus esse, quam hanc ipsam. Imo non potest aliter, nova lege introducta, agi, nisi simul nomen legis illius exprimat, ex qua actio instituitur, quo ipso factis clare nomen hujus actionis frequentatur.

Species conditionis variae.

(1) ex pactis legitimis.

§. II. Utile itaque erit, ipsas species conditionis percurrere. De jure Romano imprimis huc pertinebant pacta legitima, quibus nova lege speciali virtus actionem producendæ erat tributa *l. 6. ff. de pactis* Atque inde resultabant conditiones *ex l. si quis argentum 35. §. 5. C. de Donat. & l. 6. C. de dot. promiss.* Postquam vero hodiernis moribus pactis in universum omnibus, super negotio licito & determinato initis, propria vis agendi competit, in genere hodie de omnibus pactis asseri potest, quod inde datur conditio ex moribus, Schrader, *ad cit. l. un. n. 87. Lauterbach. exerc. 8. conclus. for. 9. tit. 6.* Ceterum quæ ad pacta legitima de Jure Romano non relata, sed specialibus contractibus adscripta sunt, male huc referuntur; Exemplum solenne occurrit in contractu emphyteuticario, ubi minus recte dant conditionem *ex l. 2. C. de jure Emphyt.* cum eo ipso, quo hoc negotium contractibus nominatis adscriptum est, ex propria ejus forma actio producat, quod plenius illustratum in *tr. de act. invest. Sect. 1. c. 3. §. 26.*

(2) conditio ex l. f. C. de revoc. donat. voc. donat.

§. III. (II.) Conditio *ex l. f. C. de revoc. donat.* quæ usum habet, ubi donatarius ingratus se præbuit erga donantem ad revocandam donationem. Quamvis enim Coll. J. Arg. *tit. de donat. th. 24.* actionem ingrati dari fingat, illa tamen ultra casum *l. 3. C. de libert. & eorum lib.* non est extendenda. Simili ratione (III.) conditio *ex Lege si unquam 8. C. de revoc. donat.* huc pertinet, per quam revocatur donatio ob supervenientiam

(3) ex l. 8. C. de revoc. donat.

tiam liberorum, de cujus latissimo sensu plenius agit Tiraqvell, *ad cit. l. n. 41. seqq.* (IV.) *Condictio ex L. 30. § (4) ex l. 30. C. de inoff. testam.* per quam agitur ad supplementum ejus, quod legitimæ deest; supposito casu, si in minima parte liberi sint heredes instituti. Plures etiam huc referunt (V.) *condictiones ex l. diffamari s. C. de Ingen. § manum, & l. si contendat 28. ff. de fidejuss. Blarer. ad L. diffam. s. c. 1. n. 4. Hahn. ad W. h. n. 3. Bachov. ad Treutl. vol. 1. disp. 23. th. 1. lit. d.* quamvis hæc remedia magis per implorationem officii Judicis, quam solennem aliquam actionem expeditantur.

§. IV. Similiter huc (VI.) quidam referunt *condictionem ex l. 2. C. de rescind. vendit.* per quam agitur ad rescindendam venditionem ob læsionem enormissimam, *Zoel. ad tit. cit. n. 36.* quamvis, cum non simpliciter ad contractum rescindendum agatur, sed alternativè, ut aut pretium suppleat, aut rem restituat, nihil obstare videatur, quo minus ex ipso contractu agi possit, ubi tunc erit bonæ fidei, cum *condictiones alias sint stricti Juris.* Potiori jure huc refertur (VII.) *condictio L. si § me § (7) ex l. 32. ff. de reb. cred.* Titium 32. ff. de reb. cred. ad quam toties recurrendum est, quoties alio remedio æquitatis quis destituitur, quo damni restitutionem reparare possit. Præsupponitur itaque, ut quis damnum passus sit in re sua amissa absque culpa tamen, alter vero, qui illam habuit, ex illa lucrum percepit, aliudque remedium non competat: sub hisce enim circumstantiis casus in *cit. L. 32.* comprehenditur. Hinc hac *condictione* hodie possunt peti fructus à bonæ fidei possessore consumti, in quantum inde locupletior factus est; cum hodie contra jus Romanum lucrum illud repeti possit. *Carpz. p. 3. C. 22. def. 28. n. 20.* Simili ratione is, qui rem meam, furto mihi ablatam, & bona fide comparatam alij majori pretio vendidit, merito

hac conditione *ex cit. l. 32.* eatenus convenitur, quatenus lucrum inde percepit. Plenius de hoc remedio egi in *tr. de act. forens. invest. §. 1. m. 2. §. 44. seqq.*

Conditio ex
statutis.

§. V. Sed & hodie ex legibus noviter introductis idem remedium utiliter adhibetur; veluti qui ultra legitimas usuras solvit, illas condicere merito potest per *R. J. de Anno 1530. tit. von wucherlichen Contracten.* Coll. Jur. Arg. *h. t. th. 2.* In Marchia coniugi superstiti debetur dimidia bonorum seu portio statutaria, quam nulla alia actione consequi potest, quam conditione ex statuto, per quod ei hoc jus concessum. Idem est dicendum de filia vel cognata in Saxonia Gerada petente, & in aliis provinciis, ubi certa portio per statutum conjugibus est adscripta.

Conditio ex
moribus

§. VI. Cum verò etiam mores legem imitentur, tunc non mirandum, quod etiam dentur conditiones *ex moribus*, quo imprimis pertinet conditio ex moribus intuitu pactorum, supra jam notata. Solenne præterea exemplum occurrit in *retractu gentilitio*, ex quo conditio ex moribus competit *Schvwendend. de Action. p. Special. c. 3. m. 47. sect. 1.* cum hic retractus iure nostro sit prohibitus, conf. *tract. nostr. de success. ab intest. diff. 6. c. 4. §. 5.* Similia exempla præbent consuetudines feudales, e. g. quando agitur contra Dominum evicto feudo ut vel feudum aliud ejusdem bonitatis tradat, vel estimationem præster *2. f. 8. pr. Ludvel. in synopsis. I. feud. p. 45.* Conf. pluribus circa hanc materiam *Carpzov. diff. de condit. ex morib.*

TIT. III.

DE

CONDICT, TRITICARIA.

§. I.

De nomine
hujus condi-
tionis,

UNde hæc conditio nomen acceperit, varie disputant Dd, sicut & circa ipsam vocem non conveniunt, dum

dum alii *Triticariam*, alii *Triticariam* hanc conditionem vocant. Triticium autem aliqui Prætores fuisse, suspicantur. Vid. Wissenbach, *Disp. 26. Vol. 1, th. 7.* alii à materia sive *tritico* deducunt, propterea, quod qui hanc actionem sibi dari prius postulaverat, forte ei res de tritico æstimando fuerit, Cujac, *in Paratit. ad h. t. in fin.* Aliorum sententias adducit laudatus Wissenbachius *d. l.* Ast parum refert, de origine vocabuli disputasse, ubi factis constat, qualis hæc conditio sit. Quare autem se-
 paratim hæc materia tractata fuerit, cum etiam triticum aliæ res fungibiles in mutuum veniant, ratio in obscuro esse nequit: In mutuum enim præcipue venit pecunia numerata; Hæc vero non recipit æstimationem, cum hæc potius reliquas omnes res æstimer: hinc de aliis rebus, vel creditis, vel ex stipulatione debitis diversam æstimationem admittentibus hic agitur, & iudex, quomodo in determinanda æstimatione se gerere debeat, præsentis titulo præcipue informatur.

Ad debitum pecuniarium non pertinet.

§. 11. In hac ergo conditione potissimum petitur præstanda æstimatio earum rerum, quæ contractu stricti Juris promissæ erant, & vel præstari non poterant, vel ut jam post moram præstarentur, creditori non expediat; adeoque æstimationem earum nomine peti posse leges indulgere, quo intuitu hæc actio *generalis & subsidiaria* fuit. Veniebat autem in hanc actionem omnis res promissa, excepta, uti dictum, sola pecunia numerata *l. i. pr. h. l. 42. in f. de fidei.* Unde etiam à quibusdam actio *Franciscanorum* dicta fuit, utpote qui res alias, sed non pecuniam accipiunt. Wissenbach, *ad h. t. th. 8.* Usus omnem eidem abjudicant Mornacius & Grœnevveg, *ad h. t.* quod forsàn quoad formulam agendi specialem, foro Romano accommodatam, concedi potest, sed cum simul in hac actione instruat officium Judicis, qua ra-
 tione

Conditionis Triticariæ natura.

Usus hujus actionis.

tionem in æstimatione petita procedere debeat, & vero eadem ratione in nostris foris contingere possit, ut quis ob moram petat æstimationem, recurrendum omnino ad hunc titulum, & sic usus per se conspicuus est.

Cujus temporis æstimatione ineunda,

§. III. Quæstio itaque primario oritur, cujusnam temporis æstimatio sit sequenda, quando illa variat? Ubi (1) indubium est, si quidem jam conventionem partium determinata sit, eam simpliciter sequendam esse *l. 28. ff. de Novat.* Deinde (2) quoque hoc constat, si rei præstandæ certus præstitutus sit dies, nec ea debita die præstetur, tanti litem esse æstimandam, quanti fuisset ea die, quæ dari debuit *l. 4. pr. ff. h. l. 37. mund. Sand. lib. 3. tit. 4. def. 8. in f.* ubi etiam hodie interesse adjudicari solet, quod emtoris v. c. interest, suo tempore non esse præstitam mercem, ut refert Brunnem. *ad l. 3. h. in f.* Neque adeo, quod putat Schilter. *ex. 24. §. 62. in eo* mores diversum a jure Romano sequuntur, cum, ut jam dictum, hæc sententia sit ipsissima dispositio Juris Romani *in l. 4. h.* nam quod *L. 3. in f. h.* ab hac norma recedere putet, id aliofsum spectat, ut nunc quidem dicitur.

Quid si nullum certum tempus præstitum.

§. IV. Tertius casus superest, quando agitur de æstimatione præstanda certæ rei, ad quam debitor sine præfinito certo tempore obligatus erat. Præstanda autem tunc est æstimatio, vel quod plane interit, & sic interitus tempus respiciendum, cum rei peremptæ pretium postea augeri nequeat; vel quod insigniter sit deteriorata, & ita tempus condemnationis spectandum *l. 3. pr. h. vel denique* si in utroque casu mora commissa, ad tempus moræ reducenda erit æstimatio, ut dicitur *in cit. l. 3. in f.* Et ita tempus moræ erit quidem terminus a quo, sed non exprimitur terminus ad quem, hic itaque supplendus *ex l. 3. §. 2. ff. commod.* quod in bonæ fidei judiciis rei judicandæ tempus observari debeat, in stricti verò juris judiciis

tem-

DE CONDICTIONE PURTIVA. 15

tempus litis contestata, ita tamen, ut tempus lit. contesta-
tae, & rei iudicatae non ad momentum illud restringatur,
sed intermedium tempus a mora commissa usque ad lit.
cont. & quanti interea res plurimi feir, attendatur, *Conf.*
L. Vinum 22. ff. de Reb. Cred. quam diversitatem bene ex-
plicat Haber. *ad ff. h. t. §. 8. seqq.*

§. V. Dicitur verò in *l. 2. ff. h. b.* quod etiam non de-
minus, qui de possessione dejectus est, possit possessionem
condicere; quæ res movit Menochium, ut *ex h. l.* specia-
le remedium possessorium constitueret *de Remed. poss.*
remed. 3. hocque utilitatem habere existimat Barbofa ad
l. 12. ff. solut. matrim. n. 36. pro rebus mobilibus, de qui-
bus alias de Jure Civili nullum possessorium remedium
recuperanda possessionis est introductum. De praxi ta-
men frequenti hujus remedii possessorii dubitat ipse Me-
nochius, quod non ipsa possessio hic restituatur, quam
potius ejus æstimatio; & si quis pro possessione recupe-
randa contendere velit, utilius remedium ex Jure Cano-
nico habet in *e. redintegrandæ*, quod ad res mobiles
etiam extensum, quo expeditiori via mox spoliatus re-
stituatur, de quo remedio ex professo agit Zieglerus
special. diss. de Restit. spoliat. ubi genuinum hujus reme-
dii sensum tradit,

An ex l. 2. ff.
special. reme-
dium posses-
sorium com-
petat?

TIT. IV.

DE

EO QVOD CERTO LOCO
DARI OPORTET.

§. I.

Hæc actio de Jure Romano inventa erat propter ne-
gotia stricti Juris. Neque enim in b. f. Judiciis
necesse erat, specialem actionem eo nomine introduce-
re, Hujus actio-
nis quæ ratio?

re, cum secundum naturam actionis æstimatio fieri, & Judex ex natura actionis arbitrari poterat, quantum alteri eo nomine præstandum, quod alibi promissum alio loco peteretur *l. 7. pr. b.* At in stricti Juris Judiciis non poterat ex natura actionis, quæ nil complectebatur, quam quod a partibus conventum erat, *l. 99. d. V. O.* judex hac de re arbitrari; unde ex æquitate specialis hæc actio introducta est, quo evitaretur pœna plus petitionis, juxta §. 33. *I. de Act.* Inde qui nullum amplius distinctionis hujus inter actiones b. f. & stricti Juris agnoscunt usum, inter quos etiam est Schilter, *ex. 24. §. 64.* hujus actionis non adeo magnam utilitatem in foro superesse existimant. Verum quoad usum hujus tituli discernendas duas esse quæstiones arbitror, utrum adhuc in stricti Juris Judiciis speciali actione indigeamus, de qua eo minus in foro solliciti sunt, postquam nec ipsius actionis nomen exprimere necessum est, quamvis commemoratio loci, quo solvi debuit, omnino libello adjicienda, ob exceptionem plus petitionis. Deinde annon hodie quoque æstimationem ejus, quod alterius interest, loco convento non esse solutam pecuniam, judex secundum regulas sub hoc titulo positas inire debeat, quod nemo forsitan negabit, cum æquitate aperta nitantur. Nam etiam hodie applicari potest, quod dicit Jctus in *l. 4. ff. h. t. in f.* quod Judex in hac actione æquitatem ante oculos habere debeat.

Usum hujus actionis

Regulariter a libi solvi nequit, quam ubi conventum.

§. II. Alias quidem certi exploratiquæ juris est, quod invito creditori alibi solvi nequeat, quam eo loco, quo conventum *l. 9. h. t. l. 137. §. 2. de V. O.* quod quoque obtinet, si forte locus alternative obligationi adjectus, antequam a creditore agatur, penes reum est electio, quo loco solvere velit; sed si in mora sit, & creditori judicio experiendum sit, jam electio est creditoris, quo loco debitorem convenire velit, ne alioquin debitor sua ele-

electione creditorem mox ad hoc, mox ad illud forum traheret *l. 2. §. 3. h. t.* Idem quoque applicandum ad eum casum, si alternationi locorum mixta sit alternativa rerum, e. g. Romæ centum, aut Capuæ equum dabo, ubi iterum creditori concessa electio; nam alternativa locorum trahit post se alternativam rerum *c. l. Mev. p. 3. D. 20.* Merito tamen hic excipiendus est casus, si privilegio vel pacto publico alicui concessum, ut eligere possit, quo in foro conveniri velit, quale exemplum habemus in *Instr. Pac. Art. 10. §. 8.* ubi Regi Sveciæ indultum, ut si tanquam Dux Bremensis vel Pomeraniæ conveniatur, liberum ei esse debeat, ut pro commoditate sua forum eligere possit, vel in aula Casarea vel in Camera Imperiali; ubi actionem intentatam excipere velit. Idem privilegium Anno 1648. d. 24. Nov. Duces Bransvicenses obtinuisse refert Dn. Schilt. *Instit. jur. publ. lib. 4. tit. 8. §. 1.*

§. III. Per hanc verò actionem receditur à necessitate in loco promisso præstandi debitum, dummodo is indennis servetur, qui inde læditur, sive actor, sive reus, prout locus nunc in hujus, nunc in illius favorem adjectus, ita ut si rei interfit, minoris fiat pecuniæ condemnatio, quam conventum est; Deducit enim interesse ex quantitate debita: si actoris, in majorem pecuniæ summam condemnatio fiat *l. 2. pr. §. 8. h.* nam actor seu creditor cogitur aliquando rem alibi recipere debitoris gratia, quo ipso reus non liberatur, *Mev. p. 5. Dec. 44.* Estimandum verò interesse, etiamsi legitimum usurarum modum excedat, ut non solius damni perpesi, sed etiam lucri cessantis ratio haberi debeat *l. 2. in f. h.* quod tamen hodie merito temperandum secundum dispositionem *l. un. C. de sent. que pro eo quod interest.*

§. IV. An vero hæc æstimatio juramento in litem fieri possit, disputant Dd. Qui id negant, potissimum ea-

De privilegio
electionis fo-
ri.

Quomodo re-
cedi possit a
loco conven-
to.

An juramen-
tum in litem
locum hic ha-
beat.

ducuntur ratione, quod hic non agatur de restitutione rei nostræ, in quo casu huic juramento locus esse solet per l. 68. ff. de R. V. Conf. Coll. J. Argent. tit. de in lit. jur. th. 6. n. 2. quæ sententia de jure Romano quidem indubia est, sed de praxi dubitat Schilter ex. 24. §. 68. Fundat se verò in eo, quod secundum sententiam Carpzovii p. 1. C. 23. def. 19. hodie circa hoc juramentum judicis latissima potestas sit, ut ex justa causa quomodo & quando ei æquum videatur, hoc deferre possit. Verum quemadmodum in tit. de in litem jurando §. 6. dixi, semper supponendos esse habiles terminos, si scilicet res talis intervenerit, in quam cadere potest affectio; ita quoque hic non recedendum a dispositione juris Romani, cum vix sit, ut talis res hic intervenire possit, in quam cadere queat singularis affectio.

Utiq. l. 8. ff.
h. t.

§ V. Superest, ut de praxi legis alias difficillimæ, Centum Capuæ s. h. t. quædam adjiciamus, de cujus expositione laboravit Dn. Pagenstech. in Sicil. man. 3. p. 89. Casus secundum ductum legis est hic; Promisit quis centum Capuæ, eoque nomine fidejussorem dedit: quemadmodum nunc cum reo arbitraria hac actione agi debet, si alibi petatur, ita quoque similiter cum fidejussore, lisque tanti æstimari potest, quanti vel fidejussoris vel actoris interfuit, eam summam Capuæ potius, quam alibi solvi; poterat enim olim fidejussor ante debitorem excussum conveniri, quamvis hodie demum, excusso debitore. Novell. 4. c. 1. Quid verò si per reum stetit, quo minus tota centum Capuæ solverentur, an fidejussoris obligatio inde augetur? Negat hoc Africanus; quamvis enim alias ob moram rei fidejussor, qui fidejussit in omnem causam, in usuras quoque teneatur, L. Quæro 54. ff. locat. & mora debitoris fidejussori nocere dicatur, L. 24. ff. de usur. L. 88. ff. de V. O. non recte tamen hæc cau-

causa videtur comparari obligationi usurarum, cum in contractibus stricti juris duæ diversæ stipulationes sint, una fortis, altera usurarum, ex quibus singulis separatim agi potest; hic una est pecuniæ creditæ obligatio, circa cujus executionem æstimationis ratio arbitrio Judicis committitur, qui tantum arbitratur de eo, quod actoris vel fidejussoris in præsentî casu, si forsan alibi petitur, interest, non autem de extraneo interesse, quod ad hanc actionem non spectat; deberur enim non speciali actione, sed tantum officio Judicis. Hujus vero differentie manifestissimum argumentum esse videtur, quod si post moram factam pars pecuniæ alibi soluta sit, & reliquum petatur, non possit Judex interesse quoad totam summam, sed eam tantum, quæ adhuc in lite est, æstimare; cum ejus pecuniæ quæ jam soluta est, interesse, hic speciali actione petere deberet, quæ tamen deficit, cum tantum officio Judicis tota æstimatio fiat. Circa quem casum hodie illud præcipue considerandum, annon saltem *imploratione officii Judicis* possit peti æstimatio ejus, quod interest, si jam soluta pecunia? Ubi quidem illum casum hic separandum existimo, si absque contradictione vel protestatione omni pecuniam alibi sponte creditor recipiat, nam ita interesse remississe videtur, Bachov. *ad Treutl. Vol. 1. dep. 23. th. 6. lit. b.* Carpz. *P. 2. C. 30. D. 11. §. 13. Perez. in C. h. n. 6.* Gœddeus *ad L. 117. ff. de V. S.* At si cum contradictione vel protestatione acceperit, facilius hodie creditorem audiendum esse existimarem, cum imploratio officii Judicis hodie idem præstet, quod olim officium Judicis pedanei, & licet olim forsan denegata fuerit specialis actio, de qua tamen adhuc dubitant, ob *l. 2. §. 7. h. t.* at tamen hodie succurri potest creditoribus, imploratione officii Judicis, quia protestando Jus suum sibi servavit integrum Freyer *de solut. c. 12. n. 37.*

An imploratio officii Judicis in defectu actionis hic hodie utilis sit,

TIT. V.

DE

PECUNIA CONSTITUTA.

§. I.

Constitutum
quid?

Constitutum
quid?

An usus actio-
nis constitu-
toris sufficiat.

Constitutum erat olim iterata promissio pacto nudo facta, vel ad proprium debitum vel alterius alicujus, quod pariter nuda placiti fide nitebatur, firmandum adhibitum, cui jure pratorio specialis agendi vis tributa, cum Pratori grave videretur fidem geminatam fallere *l. 1. pr. h.* Atque hujus negotii olim ea major necessitas erat, tum quod de jure civili nulla ex pacto nudo, licet vel maxime geminato, daretur actio; tum etiam, quod pro alio nemo se obligare poterat, nisi mediante stipulatione. Quamvis itaque, ubi alienum constituebatur debitum, in effectu erat intercessio quaedam, tamen multis modis adhuc differebat a fidejussione, cum nudo consensu, etiam inter absentes, per nuncium vel per literas expediri poterat; quod secus in fidejussione, quippe quæ ob solennitatem stipulationis presentiam exigat *L. 12. C. de fidejuss.*

§. 2. Verum cum, ut *tit. de pactis §. 4.* asserui, pratorum hodie sit maxima efficacia, ut etiam ex simplici conventionione detur valida actio, constituti, quatenus quis proprium debitum constituit, non amplius aliquis superest usus, cum pactum simplex aqve valide obliget promittentem, quam geminatum. Hoc quidem admitti potest, geminatum declarationem consensus excludere omnem exceptionem animi non deliberati, *l. 22. ad SCt. Trebell. Klock. Tom. 4. Consil. 71. n. 18. Mév. Consil. 61. n. 20.* nam plus operatur, quam dispositio simplex operari solet.

Klock,

Klock, *Tom. 3. Conf. 115. n. u.* Wesenb. *Consil. 4. n. 30.*
 Carpz. *lib. 2. Resp. 42. n. 8.* Schurff, *P. 2. Conf. 37. n. 10.*
 Menoch. *conf. 10. n. 1.* variosque præterea effectus produ-
 cit in Rescriptis, quia excludit vitium sub & obreptionis
 Melch. Pelæz à Meres. *de Majorat. Hispan. P. 1. Q. 5.*
 idemque operatur, quam si clausula motus proprii, & ex
 certa scientia adjecta fuisset, Wesenbec. *Consil. 211. n. 43.*
 Brunnem. *Consil. pen. n. 93.* Paris. *lib. 4. Consil. 38. n. 9.*
 modo tamen rescriptum inter easdem personas super ea-
 dem causa datum sit. Menoch. *de A. J. Q. lib. 2. Cas. 202.*
n. 79. & ita quoque hodie geminatum pactum suos effe-
 ctus habebit, sed non eadem necessitate amplius hodie
 requiritur, uti de Jure Romano, ubi simplicia invalida
 erant, secus ac hodie. Si itaque geminatorum pactorum
 hodie usus aliquis adhuc asserendus, dicendum, gemina-
 tionem hanc magis pertinere ad cautelas, quam ad ne-
 cessitatem & validitatem negotii.

§. III. Quemadmodum autem de Jure Romano de-
 bitum aliquod verum, licet Jure civili invalidum, re-
 quirebatur, quod constitueretur *l. 1. §. 7. h. t.*, ita non po-
 terat constitui debitum mere Civile, quod exceptione
 aliqua elidi potuit *l. 3. §. 1. h.* quia sic non erat pactum
 geminatum; quod adeo verum esse putant, ut debitor
 non teneatur, licet vel maxime sciverit, se indebitum
 constituere, *arg. cit. l. 3. Zoel. h. t. n. 10.* quod de Jure
 Romano hæctenus admitti potest. Ast in præxi merito
 aliter formanda decisio. Cum enim vel simplex & de-
 liberata promissio promittentem efficaciter obliget, &
 præterea juris notissimi sit, scienter indebitum solven-
 tem, donasse videri *l. 53. de R. J.* quod etiam de Jure
 Romano in ea specie juris erat, ubi quis scienter indebi-
 tum per contractum promittebat *l. si is qui 24. ff. de con-
 tract. indob.* nullo modo ita scienter promittens se potest
 tueri

An hodie de-
 bitum in vali-
 dum possit
 constitui.

tueri exceptione indebiti promissi; cum quod olim in contractibus, id idem hodie in pactis Juris sit. Brun. *ad l. 1. ff. n. 7. & l. u. n. 5. h. t.*

An quis tertio hodie constitucere possit.

§. IV. Secundum hæc quoque judicandum de alter-nativo constituto, ubi quis creditori aut Titio constituit, quod constitutum quidem de Jure Romano hunc effectum habebat, ut adjecto Titio solvi posset, eidem autem denegatur actio *l. 7. §. 1. h.* quia alteri pacisci aut stipulari non licebat hoc effectu, ut inde illi competeret actio §. 18. *J. de inutil. Stipul.* Sed aliter hodie quoque de hoc casu judicandum, cum certum sit, secundum antiquos & hodiernos Germaniæ mores alteri per alterum obligationem acquiri posse *Mev. p. 4. D. u2. n. 5. ceu tit. de pact. §. 12. ostensum.*

Impersonale constitutum an hodie valeat.

§. V. In eo tamen quarunt adhuc nonnulli usum, quod impersonaliter nec hodie possit fieri constitutum, per *Nov. us. c. ult. Auth. si quando C. h. t.* Impersonalis tamen stipulatio & promissio subsistunt. Brunne-man ad *Lit. Just. de stipul. servor. n. 2.* Verum rectius dixeris, nec pactum simplex impersonaliter conceptum valere posse, quatenus incertum est. Nam in stipulatione impersonalis responsio ex præcedente interrogatione erat interpretanda *Bachov. ad Treutl. vol. 2. disp. 27. th. 2. lit. C.* at cum in pacto interrogatio possit abesse, impersonalis alterius assertio vim promissionis habere nequit, ob incertitudinem, dum ignoratur, an de se promittere, an de alio voluerit. Verum si etiam in pacto aliqualis interrogatio, si non coram, saltem per literas præcessisset, non dubium, quin valeat impersonalis promissio, neque obstat, quod ita fiat stipulatio; neque enim omnis interrogatio inducit stipulationem, præsertim per literas facta, *l. 7. §. 12. de pact.*

§. VI. Potest autem constitutum vel pure vel sub conditione aut die fieri. Si pure, confestim quidem agi potest, sed modicum tamen tempus statuendum esse dicitur in *l. promissor. 21. §. 1. h. non minus decem dierum ut exactio celebretur*. Ad vero in hoc singulare quid contineatur, disquiritur? Id quidem existimat Zoel. *h. t. n. 15*. Licet enim in aliis contractibus aliquod etiam spatium indulgeatur, tamen ibidem non præcise 10. dierum observandum esse tradit. Sed de eo posset dubitari, cum in aliis negotiis in genere temperamentum quoddam hic indulgeatur *l. 105. de solut. §. f. J. de inutil. stipul.* quod licet alibi non ita determinatum, forsitan tamen ex *cit. l. 21.* suppleri posset. Et quicquid demum sit, hodie magis respici rei judicata præstandæ terminos, certum est, qui secundum locorum consuetudines variant. Sub conditione constitutum fieri olim censebatur, si debitum ipsum, quod constituebatur, erat conditionale, licet vel maxime quis pure debitum conditionale constituisset *l. 19. pr. h. t.* quod hodie in eo casu, ubi quis scienter conditionatum debitum pure de novo promittit, vix procedit, quia sic tanquam ex novo pacto obligatio efficax adesset, vid. Brunn. *ad cit. l. 19. n. 3.*

Quid si pure
constituatur.

De conditio-
nato constitu-
to.

§. VII. Si alienum debitum constituitur, nequidem sic amplius singularis usus constituti in foris nostris superest, cum revera a fidejussione ita non differat, Franzk. a fidejussione. & sic quæcunque jura competunt pro aliis fidejussoribus, eadem etiam competunt pro aliis constituentibus Carpz. *p. 2. C. 18. def. 2.* veluti ordinis & divisionis beneficia. Et sicuti exceptiones competentes debitoribus profunt etiam fidejussoribus, ita & constituentibus Mev. *P. 2. Dec. 25.* Et sicuti fidejussor, qui judicatum solvere promissit, non gaudet beneficio ordinis Coler. *de process. execut. p. 1. c. 10. n. 352.* cum in iis, quæ para-

An constitu-
tum alieni
debiti differat
a fidejussione.

paratam executionem habent, hoc beneficium cessare debeat *Coler. cit. l. 135.* ita idem quoque obtinere in constituto, recte tradit *Mev. P. 1. Decis. 229.*

TIT. VI.

COMMODATI,

§. I.

Materia commodati frequentissima in praxi.

Materia commodati sine dubio quotidiana praxi comprobata, nec ideo quid diversum in foro occurrere videtur, præsertim cum pleræque conclusiones hujus tituli ex fontibus naturalibus sint deductæ, quod hodie pariter ita se habet. Tota itaque natura hujus negotii consistit in concessione usus determinati & certi & quidem gratuita *l. 5. §. 12. l. 17. §. 3. b.* Ex quo principio per se fluit, ante usum concessum finitum, rem temere non posse revocari *cit. l. 17.* Verum quemadmodum ob necessitatem vel aliam justam causam recedi potest ante tempus præstitutum a locato, tum a parte conductoris, tum locatoris *l. 3. C. locat.* non video cur hodie non idem dici possit de commodato, præsertim si commodantis interfit, ut res eidem restituatur ex justa causa, quippe qui præstitit beneficium Commodatario, sine ulla spe commodi, quod tamen à conductore habet, qui mercedem solvere tenetur. *Struv. decis. Sabbath. c. 5. decis. 1.*

Quando ante tempus possit revocari commodatum.

Commodatum ad alium usum non applicandum.

§. II. Et hoc quoque huic negotio naturale est, quod, cum determinatus sit in concessione certus usus, res commodato data ad alium adhiberi nequeat, alioquin furtum usus committi dicitur, si animus lucrificiendi præterea adfuerit *l. 5. §. 7. §. 18. pr. b.* & hinc secundum Jus Romanum duplicem præstandum erat, non rei, sed usus, seu duplicatum pretium, quod pro usu habere poterat, *l. 12. §. f. l. 46. §. 1. de furt.* Verum hodie in hoc casu procedendum magis esse volunt secundum *art. 170.*

Const.

Const. crimin. Car. qui quidem proprie de deposito agit, sed non inepte ad hunc casum quoque applicari potest, cum delictum utrobique idem; scilicet in usu illicito rei alteri conceditur, vel ad nullum, ut in deposito; vel ad certum tantum usum. Ast vero cum in *d. art.* poena plane nulla specificè adjecta, sed simpliciter dicatur, *solche Diebstahl ist ein Diebstahl gleich zu straffen* hinc disquirunt interpretes, an poenæ ordinariæ locus esse possit? Quod Carpozovius *p. 2. prax. Crim. qv. 85. n. 68.* negat, quia non tam rem contractasse, quam perfide potius legem contractus violasse videtur, *arg. l. tres tutores ss. §. ff. de administrat. Tut.* quod in hac specie commodati eo magis dicendum, cum non rei, sed tantum usus furtum fecerit, & res ipsa domino salva sit. In deposito autem, præsertim obsignato, animus adfuit, deponentem re sua penitus privandi; hinc hoc casu ad graviolem poenam omnino deveniri potest. Referatio enim pecuniæ obsignata omnino facit, ne rem volente Domino contractasse dici possit. Imo hic semper attendendum juxta *art. 160. Const. Crim. wie schädlich dem Beschädigten der Diebstahl seyn mag.* Aliud ergo dicendum foret, si etiam in commodato furtum rei concurreret, quod conringit & interversione rei, & dolosa negatione sibi rem fuisse commodato datam, vid. *Berlich. p. 5. concl. 57. n. 11. Tabor. in Racemat. p. 584. n. 4.*

§. III. Commodatum porro in hoc differt à precario, ubi res tantummodo datur ad usum in definitum & indeterminatum, & proinde pro lubitu revocari potest *l. 1. pr. l. 25. in f. de precar.* imo heres in precario non ulterius tenetur, quam quatenus ad eum pervenit *l. 8. §. ult. de precar.* secus autem in commodato *l. 12. ff. de obl. & Act.* Verum si differentiam hanc secundum mores examinem, eandem plane cessare existimo; in omni enim precario

In quo ulterius differat a precario.

cario pactum subesse negari nequit, quemadmodum itaque stipulatio precario adjecta perpetuam parit actionem *L. 15. §. 3. de precar.* ad heredes transitoriam *L. 13. C. de Contrah. Stipul.* ita quoque hodie pactum, quod vim stipulationis habet, heredes obstringit; quo posito, contra heredem conditione ex moribus experiri fas est, æque ac contra heredem ex commodato datur actio commodati.

An Dominium transferatur. §. IV. Dominium itaque in hoc negotio nullum in accipientem transfertur, quamvis pactum accedere possit, ut ad certum tempus dominium in Commodatarium transferatur, quo ipso commodatum fit irregulare, ad exemplum depositi irregularis, vel locationis *l. 31. ff. locat. l. 24. l. 26. §. 1. de pos.* hac ratione ergo periculum quoque ad Commodatarium spectat; quod pactum posset utilitatem habere in casu, si ad periculosum iter quis alteri rem v. c. equum commodaverit, quamvis sine hoc pacto quoque commodatarius se obligare possit ad casum fortuitum. Imo tunc quoque censetur translatum dominium, si æstimatio venditionis causa adjecta est, per quam dominium transfertur *l. 10. pr. ff. de jur. dot.* nisi forsan nudæ taxationis gratia hoc factum fuisse appareat, quod inde colligitur, si rem pretiosam alicui commodato dederit, ut eo magis cautus sit in illa custodienda, & hinc, si aliqua ejus culpa res perierit, sciat, quantum restituere debeat. In dubio autem taxationis gratia æstimatio adjecta videtur, quando versamur in tali negotio, ex quo regulariter dominium transferri non solet.

An hodie in commodatario transferatur dominium. §. V. Alias nec hodie dominium transire in commodatarium, recte existimat Schilter *ex 25. §. 3. contra communem fere Dd. opinionem*, quam etiam adducit Hahn *ad Wes. h. t. n. 7.* alique a Schiltero allegati. Fundant vero dissentientes suam opinionem in *Spec. Sax.*

Sax. lib. 2. art. 69. ubi dicitur, denegari rei vindicationem contra tertium bonæ fidei possessorem, qui rem commodatam a commodatario iusto titulo & bona fide acquisivit; quæ dispositio satis aperte recedit a jure Romano. Neque enim contrarium exinde inferri potest, quod in §. 14. seq. *J. de obl. que ex delict. nasc.* Domino denegetur actio furti contra furem, si salvus ipsi regressus sit contra detentorem, cum hoc quidem de actione furti poenali certum sit, quæ ad nudam poenam tendit, de qua non est questio; sed non negatur, quod extra hanc domini non competat contra furem rei vindicatio vel condictio furtiva *L. 1. ff. Condict. furtiv.* Et quamvis secundum §. 4. *J. de Usuc.* non dominus aliquando in alterum usucipiendi conditionem transferre possit; ex eo tamen minime inferri potest, usucapione nondum completa denegari Domino rei vindicationem; & licet vel maxime transferens in bona fide fuerit, hoc tamen ipso juri veri Domini præjudicare nequit, quatenus res nondum est usucapta a tertio bonæ fidei possessore, licet etiam insuper hic vitium rei concurrat, cum scienter rem alienam vendens, furtum committat, quod usucapionem illius rei impedit.

§. VI. Ceterum jure Germanico non simpliciter transferri dominium in commodatarium, satis ex eo apparet, quod jure illo ne quidem periculum ad eum spectet, quod alias suslineret, si per commodatum dominus esset factus. Atque huc pertinet textus ex *Spec. Svecico lege 226.* *leihet ein Mann ein Pferd an eine Stet und benennt ihn die* (commodatum enim ad certum & determinatum usum dari debet) *und er leihet es ihm umsonst/ und geschieheth ihm Schts bis an die stet / er büffet noch geltet ihm davon nichts / ob er es rechtweise gritten und ihm sein Futter giedet. Und ritet er es denn fürbaß/ denn an*

Illustratur illud ulterius ex jure Germanico.

die Stadt / die er ihn nennet / und geschiehet ihm denn nichts er muß es gelten (quia in culpa est, quocum convenit §. 6. in f. l. de obl. qua ex del. nasc.) wird es verstorben oder geraubet / er muß es gelten / nimmt es aber der gemeine Todt hin / er gilt sein nicht. Neque diversum quid Statutum in Jur. Saxon. Sicuti apparet *ex lib. 3. art. 22.* Idem quoque Jur. Hamb. quod alioquin etiam servat vulgatum illud, Hand muß Hand wahren / est dispositum, uti apparet *ex Stat. Hamb. P. 2. t. 2. art. 5.* würde aber nun über solchen angewendeten gebührl. Fleiß und in dem Gebrauch / dazu es ihm geliehen worden aus unversehene unglückl. Zufall einig Schade beschehen / ist der Entlehner zu Erstattung desselben nicht verbunden / es wäre dann/das er solchen Schaden und Gefahr ausdrücklich auff sich genommen / oder das geliehene Gut an andern Ort oder anderer Gestalt oder weitere und längere Zeit denn es ihm geliehen / ohne des Hinleihers Wissen und Willen gebraucht hätte. Neque diversum quid statutum jure Lubecensi, ceu declarat *Mev. ad Jus Lubec. p. 3. tit. 2. art. 1. n. 9.*

De jure Germanico denegatur rei vindicatio contra tertium b. f. possessorem,

§. VII. Et tamen, quod mireris, in supra proposito specie denegatur rei vindicatio contra eum, qui bona fide iustoque titulo à commodatario rem commodatam accepit. De Jure Saxonico textus est *lib. 2. art. 60.* welcher man einen andern Mann leihet oder setzet ein Pferd oder Kleid oder andere fahrende hab / oder das ers verfehlet / oder zu welcher Weis diß aus seinen gewehren mit seinem Willen kömmt / verkauffet es denn der / der solches in gewehren hat einen andern oder verfehlet das für das / oder verspielt es / oder aber wird ihm gestohlen oder abgeraubet / jener der es ihm verliehen oder verfehlet hat / mag daran des Leihens halber keine Forderung haben / sondern allein wies der den / dem ers liehe oder verfaßt &c. Ubi notandum, fati

fatis aperte verba initialia loqui de commodante ejusque facto; verba autem, verkauft es den 26. loqui de facto commodatarii, ex quibus circumstantiis mens legis aperte est. Equidem Sciliterus in *pr. Jur. Rom. cit. l. §. 6.* juri communi Romano hunc textum non repugnare, sed non recte communiter intelligi evincere conatur, dum ex probis Codicibus MSS. textum allatum ita corrigendum esse existimat, ut loco verborum *mit seinen Willen* legendum sit, *mit jenes* (h. e. commodatarii) *Willen* / & sic putat hic latitare pactum adjectum, ut possessio & dominium revocabile transeat in commodatarium, extra quod pactum aliud dicendum esse de Jure Saxonico existimat. Verum, praeterquam quod lectio ipsius textus adhuc dubia maneat, vix tamen est, ut haec interpretatio admitti possit. Nam uti jam antea dictum, verba initialia loquuntur tantum de facto commodantis, & deinde sive legas *mit seinen Willen* sive *mit jenes Willen* res eodem recidit, nam haec clausula tantum ostendit, quod hic saltem agatur de illis casibus, ubi mediante contractu, & sic utriusque voluntate, tam commodantis quam commodatarii possessio naturalis in alterum transfertur, & sic excluditur ille casus, quando absque interventu utriusque voluntatis, res ad alium, forsitan ex raptu vel facto pervenit, nam contra ipsum furem quin agi possit, dubium non est; imo & contra illum etiam, qui a fure forsitan rem illam accepit, agi posse, de Jure Saxon. non videtur negandum, vid. *Spec. Saxon. lib. 3. art. 7.* Et ratio diversitatis evidens subest, quod priori casu res per commodatum, adeoque voluntate Domini *mit seinen Willen* ad alterum pervenerit, non vero posteriori casu, cum furtum invito Domino fiat. Inde dicitur quoque *lib. 3. art. 22. Dieberey noch Raubes mag er (commodans) ihn (Commodatario) daran nicht gezei-*

Examinatus
sententia per
culiaris Schil-
ceri,

hen / sintemahl er es ihm geliehen hat. h. e. ex voluntate sua rem alter tenet. Et hoc eo expedicius asserendum esse videtur, quod etiam in *Speculo Svec. cap. 226.* clarissimis idem disponatur verbis. Welche Mann ein Pferd oder ein Gewand oder ander fahrendes Gut sezt oder leihet mit seinem Willen / so hat jener Recht daran in des Gewalt es kommt. His itaque suppositis errare dici non potest dispositio Juris Lubecensis. p. 3. tit. 2. art. 1. & 2. Mevius in *Comment. ad d. Artic. 1. n. 19.* & *statut. Hamburg. p. 2. art. 2. tit. 4. § tit. 2. art. 7.* ubi factis clare vulgatum illud Hand muß Hand wahren / evincitur, cont. Henricus Giesebert. *pericul. stat. art. 13. n. 18.* Imo apud Svecos idem jus obtinere tradit Loccenius *Synops. Jur. Svec. diff. 12. qv. 5.*

An iniqua sit
dispositio:
Hand muß
Hand wahren.
ren.

§. VIII. Æquitatem & praxin in Saxonia hujus dispositionis in dubium vocat Carpz. p. 2. C. 26. *def. 5. n. 4.* & Zobel in *differ. jur. Civil. & Saxon. p. 2. diff. 32.* & solent fere hæc contra eandem asserri (1.) quod actus non possit operari contra intentionem agentium; (2.) sequi inde illud absurdam, commodatarium casum rei commodatae præstare debere, vid. Hahn *ad Wesf. h. n. 7.* Sed absurdum hoc jam præcaverunt jura Saxonica superius adducta, aperte hanc consequentiam negando; quoad priorem vero notandum, hoc extraordinarie receptum esse, ut eo securiora reddantur rerum commercia & quis eo tutius cum altero contrahere possit, si certus sit, sibi nullam rei emta nomine imminere evictionem *vid. Stat. Hamb. p. 2. tit. 4. art. 2. ibi.* zu Beförderung gemeiner Handhierung und Vermeidung beschwerlicher *disputation:* Ceterum hoc merito ita intelligendum est, si tertius in bona fide fuerit; secus enim esse videtur, si in mala versetur, sciens, rem in se translata fuisse commodatam, uti recte limitat hanc sententiam. Colerus *decis. 7. n. 7. seqq.*

§. IX.

§. IX. Potest autem res commodato dari vel uni vel pluribus, quo casu sæpe controversia etiam in praxi existit, quousque quilibet obligetur, an pro rata, an in solidum? Accidere enim potest, ut alter ex commodatariis vel non sit solvendo, vel non æque facile conveniri possit. Alias quidem debitores plures pro rata tenentur, quatenus non sunt correi; sed hic diversum placuit, ut etiam citra pactum correale, duo quodammodo rei haberi debeant, hoc effectu, ut singuli & dolum & culpam & custodiam & diligentiam in totum præstare debeant. *l. Si ut certo loco §. §. f. h. t.* Videtur enim commodans singulorum fidem in solidum secutus esse; quod hunc effectum habebit, ut non periclitetur commodans, si vel maxime alter solvendo esse desinat; quamquam ceteris paribus locum moribus nostris habeat inter eos beneficium divisionis, argum. *Novell. 99.* Potest tamen aliter pactis negotium determinari, ut singuli tantum pro rata teneantur, quem in sensum commode accipi potest *l. 21. §. 1. ff. h. t.*

An plures commodatarii obligentur, in solidum.

§. X. Obligatur vero commodatarius ad omnem diligentiam præstandam, adeoque cum potest, res commodatas suis præferre debet *l. 5. §. 4. h.* Sed hic communiter distingvere solent, utrum res commodata vilior, an pretiosior sit re propria, ita ut pretiosorem demum præferre debeat, non etiam viliozem Hahn. *ad W. h. t. n. 7. Schilt. ex. 25. §. 12. Lauterbach ad tit. commod. Puffend. de J. N. & G. lib. 5. c. 4. §. 6.* quod adeo extendunt, ut etiam à commodante pretium rerum suarum, quas reliquit, ut servaret alienas, repetere possit, arg. *l. 18. §. 2. h. Balthasar 2. Resol. Bavar. tit. 17. ref. 1. n. 30. Zoef. h. l. n. 12. in f.* quia in communi periculo nemo obligatus est subire damnum majus, ut advertat minus. Verum dubito de hac sententia, quia hoc gener-

An res commodatas suis præferre debeat.

fic-

nerale est, quod in commodato majorem quis impendere debeat rebus alienis diligentiam, quam propriis, & quidem vi contractus; neque enim regula ex *l. praeses 6. C. de serv. §. aq.* quod scilicet ordinata charitas incipiat à se ipsa, hic applicari potest, quæ tantum obtinet in *pari causa*, non vero si vi contractus ad majorem diligentiam in re aliena obliger. Forfan rectius distingui posset, an res commodata quoque apud dominum fuisset interitura, utut vel maxime non fuisset commodata, an non; ita ut priori casu demum cesset restitutio *l. 14. §. 11. quod met. caus.* bene tamen posteriori, *Conf. disp. nostr. de salvo regress. c. 2. a. 17. seq.*

An possit
commodanti
opponi excep-
tio deficientis
dominii,

§. XI. Denique quaeritur, num possit commodanti opponi exceptio deficientis domini? quod negandum est, cum etiam res aliena possit commodato dari *l. 15. h. r. l. 12. §. 2. de usufr.* neque adeo ei adio commodati deneganda sit, qui non est Dominus rei commodatae *l. 16. h.* Sic itaque respectu commodatarii esset hæc exceptio de jure tertii, quæ in judiciis non attenditur, sed ad verum dominum supervenientem pertinet. Quo etiam pertinet famosa *l. Si quis conductionis 25. C. locat.* quæ eadem æquitatis ratione quoque ad commodatum applicari potest, Sichard. in *C. ad cit. l. 25. n. 4.* Aliud forsan dicendum esset, si ipse dominus concurreret, & dominium suum liquido ostenderet, sic enim eidem esset restituenda *l. bona fides 31. ff. de pos.* Quodsi autem altioris indagationis tertii concurrentis esset prætensio, sine dubio res commodanti esset restituenda; nam præsupponunt communiter interpretes, domini probationem in continenti fieri posse Zoef. ad tit. unde vi n. 17. seqq. Menoch. remed. recup. poss. 1. n. 13. Struv. de vind. privat. n. 17. seqq. Quodsi denique ipse Commodatarius se dominum esse dicat, itidem juste recusabit restitutionem; & licet hoc for-

forſan incontinenti non probaverit, dandum tamen ipſi ſpatium, cum hæc exceptio tollat jus agentis. Brunn.
ad cit. l. 31. in f.

§. XII. Cum vero in h. t. occurrat ordinaria ſedes *De uſul. §. h. c.* materiæ præſtationis culparum in l. 5. h. non inutile erit, inquirere, an & quatenus vulgata regula, quæ ex h. l. deduci ſolent, in praxi obſerventur. Non hic repetam Doctorum communes aſſertiones, & quæ præterea in ſingulis moveri ſolent controverſias; nam ut ingenue fatear, ingentes illæ Doctorum fluctuationes rem haud conficiunt, & plerumque inanibus ſpeculationibus inſerviunt. Videntur vero potiſſimum inde profluxiſſe, partim quod Jctorum Romanorum non eadem fuerit ratio diſtinctæ gradus culparum proponendi, & terminos huc facientes eundem in ſenſum accipiendi; partim quod interpretes magis ex verbis, quam re ipſa hanc doctrinam voluerint explicare. Plurimi enim Jcti ſimpliciter culpæ mentionem fecerunt, eamque oppoſuere dolo, ut apparet ex l. 8. §. f. *mand. l. 8. §. 3. de precar. l. 66. pr. l. 25. §. 1. l. 13. §. 1. l. 9. l. f. ſolut. matrim. l. 17. pr. de jur. dot. l. 3. §. 1. Naut. Caup. ſtab. l. 8. §. pen. l. 9. §. 5. de reb. aut judic. poſſ. l. 108. §. 12. de legat. 1. l. 5. commod. &c.* Plurimi quidem gradus determinarunt, ſed non uno eodemque genere loquendi, vid. l. 5. §. f. h. l. 42. §. 5. de leg. 1. l. 13. de R. J. l. 2. §. 1. de peric. & comm. rei vend. l. 14. de pign. act. l. 72. pro ſuo. &c. Ex quo factum, ut etiam Ravardus ad l. 23. de R. J. tantum duas ſpecies culparum lata & levis concinnarit, a quo parum abludit doctrina Struvii *Ex. 19. tb. 41. & in Jurisprud. lib. 3. tit. 3. aph. 14. ſeqq.* Quæ omnia ſi conſidero, totam hanc diſcuſſionem in praxi ad æquum & bonum revocandam & ita arbitrio Judicis prudentis relinquendam eſſe arbitror, qui ſecundum circumſtantias negotii & perſonæ

conditionem, prout in suis negotiis diligens esse solet, hac de re æstimabit, ut recte Struvius in *Jurispr. cit.* l. §. 16.

TIT. VII.

DE

PIGNORATITIA ACTIONE.

§. I.

Ufus hujus
tituli.

Differentia
ab hypothe-
ca.

QUemadmodum ad quotidiana negotia fere mutuum in pecunia numerata consistens referri debet, ita nullum quoque frequentius negotium, quam contractus pignoratitius, cum prima de securitate crediti cura creditorum esse solet, & semper melius sit rei incumbere, quam personam sequi. Adeoque eo majorem nunc hic titulus usum habebit, cum de ejus observantia quotidiana loquatur experientia. Differt vero hic contractus a pacto hypothecæ, quod ibi possessio pignoris in creditorem transferatur, non vero in pacto hypothecæ l. 1. pr. h. t. l. 9. §. 2. l. 85. §. 1. h. nisi huic adjecta fuerit clausula *constituti possessorii*, quod hodie ordinarie fieri solet, qua clausula id operatur, ut veram possessionem in creditorem transferat, & debitor nomine creditoris possideat, *Mev. 5. Dec. 159. 160.* adeoque ipsi remedia possessoria competant *Mev. 5. Dec. 159.* quod & contra tertium possessorem locum habere potest, in quem forsitan debitor inscio creditore rem alienavit, ut ita beneficium excussionis huic prodesse non possit l. 18. de *acquir. vel amitt. possess.* Gail. 2. obs. 7. quo alias tertius possessor gaudet. *Auth. hoc si debitor C. de pignor.* Idem quoque nunc dicendum de pignore, cujus possessionem per contractum pignoratitium acquisivit l. cum §. satis 35. §. 1. h. sed postea iterum amisit, ut proinde remedia recuperandæ

pos-

possessionis ei indulgeri debeant *Mev. p. 5. D. 94.* Et hoc sensu adhuc in foro verum est, quod dicitur in §. 7. *Inst. de Act.* quod inter pignus & hypothecam quantum ad actionem hypothecariam nihil intersit, scilicet, si pignus amiserit, ut contra tertium possessorem hypothecaria actione experiri possit. Quamdiu enim pignus possidet, hac actione opus non habet creditor.

§. II. Alias quoque, ut eo promptius creditor possessionem in hypotheca consequi possit, in praxi frequentissima est clausula hypothecis addi solita *de ingrediendo*, ut scilicet in casu moræ creditor possit propria auctoritate bona debitoris ingredi *l. creditores 3. C. de pignor.* quod pactum hunc effectum habet, ne creditor ad casum fortuitum in re hypothecata præstandum teneatur, quod alias in hoc casu, ubi propria auctoritate eam occupat, juris est *l. 30. ff. b. l.* Interim hoc pactum eatenus tantum esse potest validum, quatenus debitor non resistit creditori, contra resistentem vero legitimis utendum remediis; hoc tamen illud pactum operabitur, ut eo promptius à Judice decernatur immisio.

Pactum de ingrediendo quid operetur.

§. III. Non tantum contractum venire solent, quo res immobiles in hunc contractum venire solent, quo casu tamen, quia ordinariam utilitatem res immobiles præstant, simul usus ejus rei in creditorem transfertur; unde nascitur contractus *Antichreticus*. Hujus natura autem hæc est, ut fructus ex re oppignorata cum usuris præstandis, compensentur, & ita proportio sit habenda inter usuras & fructus. Ratio præterea est habenda reddituum, utrum sint certi quotannis, an incerti; ita ut priori casu, quatenus excedunt usuras, in sortem sint imputandi *Carpz. p. 2. c. 30. def. 40. & 41. Berl. p. 2. concl. 170. n. 24.* ex quo facile contingere potest, ut tandem totum absorbeat debita, & creditor actione pignoratitia

Antichreticus contractus.



titia conventus teneatur ad fundi antichretici restitutionem sine oblatione crediti. Posteriori vero casu aliquis excessus toleratur *l. 17. §. 23. C. de usur.*

Quid Juris
in tacita an-
tichresi,

§. IV. Constituitur autem Antichresis vel expresse vel tacite. Hoc casu certum est, secundum hæcenus dicta esse pronuntiandum, & consequenter hac actione creditor compelli potest ad rationes reddendas de fructibus perceptis & percipiendis *l. 3. C. h. t.* cum enim in re ditibus certis fructus usuras excedentes forti imputentur hoc non aliter fieri potest, quam per rationum redditionem. Carpz. *p. 2. C. 30. def. 41.* Debet autem Judex hic respicere ad communem fructuum præventum, & rationem inde constituere, *Mævius discuss. levam. c. 4. sect. 11. n. 21. seqq.*

An in expressa
antichresi ex-
cessus fructu-
um attenda-
tur,

§. V. Sed gravior disquisitio est, an in antichresi expressa idem quoque obtinere debeat, ut excessus in fructibus forti imputetur, & creditor hic quoque de perceptis & percipiendis rationes reddere debeat? Quod quamvis communiter affirmant, ob generalitatem *l. 3. C. h. t.* attamen rectius negandum videtur etiam Tabore *de altero Tantop. 3. Art. 12. th. 7. Add. Rauchbar. p. 1. qv. 20. n. 25. Lauterbach. diss. de Antichresi th. 153. Cujac. ad l. 17. C. de usur. §. lib. 8. obs. 17. Anton. Faber in error. pragmat. err. 5.* Hoc enim fundamenti loco ponendum, posse quemlibet debitorem minori mercede prædium suum locare, quam fructus inde redigi possunt, modo locator non sit læsus ultra dimidium. Jam itaque nihil obstat, quo minus prædium pro usuris creditori locetur, ut plus inde capiat, quam quidem admittit ordinaria usurarum quantitas *l. si ea pactione 14. C. de Usur.* Ecquid vero aliud est antichresis, quam quædam locatio fundi, ita ut usuræ alias præstandæ cum locario compensentur? Sicuti itaque conductor locatori non tenetur ad rationes red-

reddendas; ita nec talis creditor Antichreticus in hoc casu; Merito itaque *l. 3. C. h. de fructibus percipiendis restringenda; ad Antichresin tacitam; quia ibi fructuum perceptio creditori expressè non est indulta.*

§. VI. Ceterum hæc sententia eo magis approbanda; quo magis Germaniæ moribus pristinis congruit, ubi in ejusmodi oppignorationibus immobilium omnis utilitas, imò quadantenus dominium ipsum, sub Lege tamen reluitiois translatum. Unde JCI Helmstadiensis Ao. 1659; sequentem in modum responderunt; *Das man vor Alters in Deutschland die beyden Contractus pignoris, & venditionis cum pacto de retrovendendo wenig unterschieden / sondern fast eines vor das andere gebrauchet worden / quam sententiam quoque approbarunt JCI Gryphiswaldenses in Responso super causa Saxo-Leoburgica contra civitatem Lubecensem in puncto reluitiois civitatis Möllen. concepto die 31. Jan. Ao 1687. quæst. 6. hinc verba Verpfändung / Pfand-Schilling / Wiederkauff pro synonimis & æquivalentibus habebantur, Besoldus Thes. Pract. verb. Pfand-Schilling / de qua materia pluribus videatur Strauch. de Oppig. Imperii th. 33. & seqq. & nuper idem clarius demonstravit Dn. Thomasius in Disput. de usu pract. distinct. inter emtionem cum pacto de retrovendendo & contractum pignoratitium c. 3. §. 5. & seqq.*

§. VII. Solet quoque nonnunquam Lex Commissoria adjici huic contractui, ut debito, suo tempore non soluto, pignus pro debito creditori plene cedat; quod pactum originem traxisse videtur ex pignoribus fiduciaris, quando scilicet olim pecuniæ sumendæ gratia rem certam mancipabant solenniter; vel in jure cedebant ea lege, ut soluta intra tempus certum pecunia, ei res remanciparetur; non soluta, pleno jure creditori committeretur, vid. Gonzal. Tell. ad c. 7. n. 7. seq. b. t. Verum cum

Quod olim
juris in Ger-
mania circa
contractum
pignorati-
cium?

Lex commissoria
prohibita

in signis usuraria pravitas plerumque sub hoc pacto latet, utroque & Civili & Canonico Jure hoc est prohibitum *l. f. C. de pactis pign. significante C. pen. X. de pignorib. Trentacinq. lib. 3. tit. de pignor. ref. n. 15.* Annon autem hodie, si juramento vallata lex commissoria sit, propter vinculum juramenti efficaciam aliquam habeat, hic inquirendum? Id communiter evincere conantur *ex all. c. pen. Bachov. lib. 1. de pign. c. 16. n. 1, 2, Merlin. de pign. lib. 4. tit. 4. q. 123. n. 17. seq. Trentacinq. cit. l. n. 6.* Aug. Barbosa in *Collectam. ad d. C. pen. n. 8.* Gail. 2. *obs. 40. n. 4.* Rittersh. *de differ. jur. Civ. & Canon. lib. 3. c. 4.* Surdus *Decis. 268. n. 21.* Gutierrez *de Juram. confirm. p. 1. c. 33. n. 4.* Hoc quidem certum est de Jure Canonico, vim magnam Juramentorum esse, adeo ut etiam actus alias nulli per illud confirmetur, ex illa generali regula, quod omne Juramentum, quod salva salute æterna servari potest, servandum sit *c. 28. X. de Juram.* Verum de præsentis casu jam olim dubitavit Cuiacius, notante Rittershusio *c. 1.* qui potius communem sententiam destrui per *c. pen. allegat.* existimat. Neque enim ratio decidendi in *cit. c.* sumitur ex Juramenti vi, sed quod per debitorem non steterit, quo minus solveret. Et licet absque conscientia læsione debitor hoc possit servare, tamen simul super re illicita & legibus absolute prohibita præstitum; adeoque justitia caret, quæ in omni Juramento requiritur *c. 26. X. de jurejur.* Unde tale pactum ne quidem consuetudine approbari asserunt, cum magis corruptela dicenda sit. Merlin. *d. l. quæst. 123. n. 25. seq. Trentacinq. cit. l. ref. n. 23. seq.*

An casu amisso pignore nihilominus debitum solvendum,

§. IIX. Quamvis vero creditor pignus per hunc contractum acceptum custodire omni diligentia debeat *S. 4. 7. quib. mod. re contr. obl. l. 13. §. 1. ff. b.* casum fortuitum tamen haud præstat, atque adeo licet vel maxime casu

casu pignus interierit, nihilominus debitor solvere debet *l. 6. § 9. C. b. t.* Sed ab hac dispositione recessit jus antiquum tam Saxon, quam Suevicum, ita enim in *Spec. Sax. lib. 3. art. 5. in f.* Stirbet ein Pferd oder Vieh in der Versehung ohne jenes Schuld / der es unter ihm hatte / beweiset er das / und darff darzu auch schwehren / entgelt es ihm nicht / er hat aber sein Geld verlohren / das für es ihm versezt ist / quod Jus olim in Saxonia viguisse, etiamsi esset contra omnia Jura mundi, asserit & testatur Coler. *1. Dec. 7. n. 29.* Idem quoque dispositum est in *Spec. Svec. c. 254. §. 3.* Equidem Berlich, *P. 4. Concl. 33. n. 4.* hoc tantum restringit ad pecudes, sed quicquid sit, ab iniquitate summa excusari nequit, cum ita in effectu creditor periculum ferre teneatur, quod ad debitorem tanquam Dominum merito spectare debebat. Ex quo etiam factum, ut Jure Saxonico recentiori abrogatum & Jus civile retentum, vid. *Carpz. p. 2. m. constit. 26. def. 1. § 3.* atque secundum hanc sententiam pronunciatum esse, præjudicio adducto, docet Hahn *ad W. b. t. n. 7.*

§. IX. Oritur ex hoc contractu actio pignoratitia directa & contraria. Illa datur debitori ad pignus soluto debito restituendum *l. 40. §. 2. ff. l. 11. C. b. t.* & quia personalis est, hinc facile apparet, contra tertium pignoris possessorem singularem eandem institui haud posse *l. 40. b. t.* In praxi tamen ex æquitate contrarium observari testatur *Mev. p. 5. Dec. 343.* quod Jure Canonico introductum volunt *per C. 6. X. de pignor.* Equidem Schilker *Ex. 26. §. 10.* arbitratur *in all. Cap.* non esse quaestionem de pignoratitia actione, sed potius rei vindicationem, cum genus actionis plane non exprimitur. Verum totus contextus ostendit, ideo de repetendo pignore actum fuisse, quod fructus ex fundo Antichretico per-

An actio pignoratitia detur contra tertium possessorem.

percepti jam totum absorpsissent debitum, quod indicium est de pignoratitia actione licem fuisse, cuius fundamentum est, quod debitum sit solutum vel alio modo extinctum *l. 9. §. 3. b. t.* Quodsi autem rei vindicatione contra tertium actum fuisset, fundamentum actionis quaerendum foret in dominio ejusque probatione, quae difficillima. Alii tamen aliud remedium adhuc eligunt, veluti implorationem officii Judicis, qua in sententia est Hahn *ad W. b. t. n. 7.* alii conditionem sine causa. Non improbabiler dici posset, conditionem *ex c. 6. cit.* locum habere, cum Jure Canonico hic nova obligatio contra tertium sit introducta, non expresso nomine actionis, quo casu nascitur conditio ex Lege, vel Canone *arg. L. un. ff. de Condict. ex lege.*

An luitio
pignoris pos-
sit praescribi,

§. X. Cum autem actione pignoratitia directa demum soluto debito agi possit ad pignus repetendum, *l. 9. §. 3. b. t.* & sic in effectu demum nascatur actio, apparet, interim non currere praescriptionem; actioni enim non nata non praescribitur per *l. f. §. 2. C. de annal. except.* adeoque ne quidem per 1000. annos luitio pignoris praescribi potest. Berl. *p. 2. concl. c. 3. n. 26.* Zanger *de except. p. 3. c. 10. n. 190. seq.* Mynt. *1. obs. 16.* Famosum exemplum actionis pignoratitia post 400. annos instituta habet Brunnem. *cons. 130.* Et hoc intuitu itaque haec reluitio inter res merae facultatis refertur. Zoef. *b. t. n. 18.* Carpz. *p. 2. C. 1. def. 3. n. 2.* hoc scilicet sensu, ut ei nullum certum tempus praefigi possit, intra quod pignus luere debeat. Neque vero audiendi sunt, qui hanc conclusionem quidem non negant, sed eam unice ex Jure Canonico petendam esse volunt, ex hac ratione, quod creditor rei alienae seu pignori incumbens non habeat bonam fidem, quae tamen de Jure Canonico & moribus requiritur, uti observat Gail. *2. O. 18. n. 7.* inde concludens, ne quidem

Str-

Statuto vel consuetudine contrarium induci posse, quo & tendit Carpz. p. 2. C. 1. def. 3. Alii distinguunt inter Jus offerendi seu solvendi debitum, & actionem pignoratitiam, ita ut illud sit meræ facultatis, hæc autem soluto debito omnino præscriptioni 30. annorum subjaceat. Schilt. ex 26. §. 13. Sed res eodem recidit, nam in effectu, quamdiu jus offerendi mihi integrum est, tamdiu quoque præscriptio non currit contra actionem pignoratitiam; quod si vero debitum jam solverim, & pignoris repetitionem per 30. annos neglexerim, omnino actioni pignoratitiæ præscriptum erit.

§. XI. Ex accidenti tamen & boni publici causa evenire potest, ut relucio plane impediatur & lege publica prohibeatur; quale exemplum occurrit in oppignorationibus quibusdam Imperii, quæ proinde dicuntur *unz ablößl. Pfandschafften*. Postquam enim in cap. Caroli V. & subsequentium Imperatorum oppignorationes Statuum essent confirmatæ, disputari cœptum est, an eo ipso relucio pignorum imperialium sit derogatum, præsertim quoad civitatem Lindaviensem & Weissenburgam *Nortgau* vid. *Limn. tom. 2. add. ad Lib. 7. c. 29.* *Knipschild de Civit. Imper. l. 3. c. 31. Aut. Actor. Lindaviens. Strauch. de oppignor. imper.* Res hæc tandem quantum ad illas civitates decisa in *Instr. Pac. art. 5. §. 26. in fin.*

Quid de oppignorationibus imperii dicendum.

§. XII. An vero hoc generaliter, ad omnes inter Principes Imperii oppignoratas terras extendendum sit, dubito: confirmatio enim dicitur *Pfandschafften* / quæ in Capitulationibus Cæsareis *Art. 3.* huc usque repetita, possessores quidem securos reddit, ne illis quæstio moveri possit, oppignorationes istas sine consensu Cæsaris vel Electorum aut Statuum, vel ob aliud aliquod obstaculum illegitime factas esse, non vero prioribus Dominis jus relucendi admittit. Ob stare quidem videtur *Instrument. Pac. Art. 5. §. 26. circa finem* ubi repetitur, quod cum in

An hoc generaliter obtineat?

De oppignorationibus Statuum inter se.

Capitulatione sua Imperator promiserit, se Electoribus, Principibus, ceterisque Satis immediatis Imperii ejusmodi oppignorationes confirmare, atque illos in eandem tranquilla & quietam possessione defendere & manuteneri velle, & hanc dispositionem tamdiu observandam esse, donec consensu Electorum & Statuum aliter statutum fuerit. Verum uti contextus docet, locus hic non generaliter capiendus, sed tantum quoad oppignorationes Imperiales olim ab ipsis Imperatoribus factas, possessoribus securitas promittitur, ne Imperatoris arbitrio revocari aut redimi possint, donec aliter cum Statibus Imperii desuper conventum. Quod vero attinet oppignorationes Statuum inter se, relictioni expresse locus conceditur *d. Art. 5. §. 27. Instr. Pac.* modo possessorum exceptiones & merita causarum sufficienter examinentur. Et hujus rei superioribus annis liquidissimum exemplum se obtulit inter Ducem Saxo-Leoburgicum, & civitatem Lübeckensem, Duplex enim contractus inter illos intercesserat, 1.) contractus retrovenditionis super civitate Möllen *de Ao. 1359.* deinde contractus pignoratitius super civitate Bergedorff cum pertinentiis *de Ao. 1370.* ex quorum collatione patet, accuratissime distinctos fuisse hos contractus; In primo enim, uti moris est in contractu retrovenditionis, dominium translatum est cum pacto reemendi: In altero, pignoratitio scilicet, dominium reservatum fuit, cum pacto redimendi. In priori contractu dicitur: *Vendimus & dimissimus cum dominio nostro*: in posteriori dicitur: *obligavimus ac impignoravimus oppidum nostrum Bergedorff*, & postea: *Proprietatem in supradicto dominio retinemus.* Interim hæc distinctio jam tum innotuisse videtur ex jure peregrino, quia in illo contractu juris Canonici & Civilis exceptionibus renunciatum. Cum ergo ad relictionem ageret Dux Saxo-Leoburgicus, non obstante exceptione præscriptio-

nis

nis immemorialis, aut instrumenti Pacis, condemnatio ad restituendum secuta in Camera Imperii *10. 1667. d. 8. Nov.*, quæ confirmata *d. 18. Mart. 10. 1670.* fructuum tamen perceptorum percipiendorumque nulla ibi facta mentio; sicut & in posteriori contractu impignorationis omnes omnino fructus Creditoribus relinqui fuerunt.

An constitui
possit pignus
irredimibile.

§. XIII. Hac occasione autem inquiritur, an hodie mediante pacto effici possit, ne actio pignoratitia locum habeat, sive, ne oblato pretio pignus repetere liceat? Equidem jure communi naturæ pignoris non congruit, illud irredimibile per pactum constituere, cum idem esset, acsi dominium pignoris plene translatum esset, quo ipso desineret esse pignus, vel sub hac oppignorazione vera latitaret alienatio; jam vero pignus in perpetuum constitui nequit l. *Cothman Vol. 2. Respons. 57. n. 104. & seq.* Verum si Leges Imperii novissimas consulamus, apparebit ex *Ord. Polit. de 10. 1548. tit. von wucherlichen Contracten &, in Reformat. Polit. de 10. 1577. tit. 17. §. 9.* distinguendum inter Creditorem & debitorem, quorum ille ibidem *venditor* annui redditus, hic *emtor* dicitur; Et creditori quidem seu emtori annui redditus *der jährl. Gültten* non conceditur facultas resignandi sortem; bene tamen ipsi venditori, qui in effectu debitor est, valebit ergo pactum ne creditor pignus vel hypothecam excutere possit, quamdiu ipsi quotannis præstantur usuræ; & eatenus admitti potest pignus irredimibile, sive fors non exigibilis *unablößl. Renten* sive *ein unablößl. Capital.* Nec hic opponi potest, quod ita pignus Creditori reddatur inutile, nam securus ita manet de suo credito, & per hoc pactum pignus absolute non redditur irredimibile, cum debitor sortem offerre, & ita pignus liberare valeat; Et creditori tantum interdictum est, sortem non repetere, quamdiu usuræ præstantur. Unde etiam omnino valet pactum, ut credi-

Affirmatur
quoad credi-
torem

tor sortem repetere, & ita per consequens etiam pignus vendere, vel executionem in hypothecam urgere possit, si usuræ stato tempore non solvantur, sicuti expresse provisum est in *Recess. Imper. de Ao. 1600. §.* Ferners ist bis anhero ^{35.} ibi: Es ist bis anhero im Heyl. Reich nicht ausdrücklich versehen gewesen/da der Schuldner sich selbst obligiret und verbunden/da er in Zahlung der jährl. Gülden sich sämlich erzeigen würde/ alsdann dem Gläubiger alsbald die Haupt-Summa neben den Gülden wieder zu geben/ ob solcher Contract im Heil. Reich zugelassen sey. Et in sequentibus hic contractus tanquam in Imperio usitatus & frequentatus, expresse approbatur, & via executionis Creditori panditur contra debitorem *Carpz. P. 3. C. 24. def. 18.*

Nisi mora in solvendis futuris fiat.

Non valet illud pactum quoad debitorem.

§. XIV. Alia itaque quaestio est, an per Leges Imperii permissum sit pactum hoc mutuuum, daß das Capital unablässlich / und also die Pfand-Verschreibung in perpetuum auch ratione debitoris beständig seyn soll? Quod negandum est, *arg. Ordinat. Polit. de Ao. 1577. §. 9.* Consultum enim hic leges Imperii voluerunt debitori, ne sub perpetuo onere æris alieni, & obligationis bonorum hæreret, non sine sui damno, creditor vero continuum speraret lucrum. Unde etiam si partes utrinque renunciarent LL. Imperii seu dictæ *Ordinat. Polit.*, hoc tamen invalidum esset, *arg. L. Non dubium 5. C. de LL. Carpz. P. 3. C. 24. d. 17. n. 7.* Hartm. Pistor. *observ. 63.* Interim non dubito, olim in Germania tale pactum de non luendo pignore non insolitum nec injustum fuisse. Hunc in finem ejusmodi condiciones impossibiles contractui oppignorationis quandoq; adjecerunt, quarum implementum nunquam sequi posset. Referunt de Ducibus Saxo-Leoburgicis, quod cum Lubecensibus tale pactum inierint, relictionem civitatis *Möllen* non prius permissam esse debere, nisi Duces cum pretio obtulerint einen blauen Wind-Hund/ einen weissen Falcken/ und einen Hagedornen Stoc/ der keinen Ast hat/ quod pactum, si probari potuisset,

Quid olim in Germania?

Lu-

Lubecensibus exceptionem deficientis juris reluendi præbuisse. Verum cum in contractu ipso hac de re nihil haberetur, sed tantum ad testimoniū de auditu provocaretur, hinc pro relutione in Camera pronunciatum est. Hoc alias certum, quando non constat, an redimibilis, an irredimibilis sit obligatio ad præstandum annuum censum, tunc in dubio redimibilis censetur. Felician. de Solis *Tr. de Censib. c. 5. n. 15.* Add. Martini *de Censibus c. 2. n. 13.*

§. XV. In actione pignoratitia contraria potissimum de impensis in rem oppignoratam factis agitur, ubi sæpe in praxi disputari solet, quatenus tales impensæ restituendæ sint, præsertim si res oppignorata per diuturnum tempus in possessione creditorum fuerint. Equidem clara hac de re est decisio in *l. 25. b. r.* quod non attendi debeant impensæ, licet utilitatem præstare valeant, si debitorem nimis gravent. Merito enim impensæ tales faciendæ sunt pro conditione & facultatibus debitoris, quas probabiliter ipse debitor faceret & facere posset. Alioquin enim avari & astuti creditores viam invenirent, secundum quam alienas possessiones facile in se transferre possent, tantas in res oppignoratas impensas faciendo, quas debitor restituere haud posset, quod ex eadem æquitatis ratione quoque in aliis materiis leges attendunt, *vid. l. 25. ff. de Negot. gest. l. 38. ff. de Rei Vind. l. utilium 8. ff. de impens. in res dot. fact.* Multum hic arbitrio Iudicis relictum, qui ex æquitate causam ita temperare debet, ut neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur *l. 25. b. in f.* Atque hoc diligenter observandum monet Gail. *2. obs. 12. in f.* contra potentes hypothecarios, qui dominia possident sub pacto de reluendo *Psand. Inhabere* / & rem hypotheca. tam novis & pretiosis ædificiis ita exornant, ut sumtuum magnitudine dominum à relutione excludere, sibi que proprietatem Dominiū retinere satagant. Conf. Mev, *7. D.*
5. Ba.


Quis modus
in impensis
factis habendas.

44 PAND. L. XIII. TIT. VII. DE PIGNOR. ACT.

5. Bachov. *de pignor. lib. 3. c. 9. n. 4.* Franzk. *h. t. n. 33.*
 Quod si itaque impensæ immodice factæ, creditor contentus esse debet, si illas in quantum salvo pignore possit, tollere liceat, *L. 38. ff. de R. Vind.* quo casu tamen debitor potestatem habebit, tantum offerendi, quantum res destructa valeret. Quin re adhuc integra ad instantiam debitoris per mandata inhibitorialia creditor impediri potest, ne pro lubitu in re oppignorata adificet. *Mev. p. 3. Decif. 281.*

Ad quid agendum si res aliena | oppignorata,

§. XIV. Deinde contraria hæc competit quando res aliena vel vitiosa pignori data *l. 1. §. 2. ff. h. t.* ubi dubium occurrit, ad quid hoc casu agendum sit. Equidem in *L. 54. ff. de fidejuss.* ad interesse agi debere asseritur; ex quo colligit Brunnem. *ad l. 1. ff. h. in f.* non agi posse ad hoc, ut aliud pignus debitor constituat, quippe quod non est præcise in obligatione. *Neguz. de pign. memb. 3. p. 7. n. 20.* A qua sententia tamen recedit Dn. Schilter, *Ex. 26. §. ult.* existimans, interesse creditoris tantum in eo versari, ut aliud recipiat pignus æque bonum, contra Brunne-mannum inferens, hoc utique esse in obligatione. Verum clarissime in *cit. l. 54.* asseritur, in hanc actionem venire, quod interest creditoris, illud autem non præcise in eo consistit, ut aliud recipiat pignus, sed ut omne incommodum, quod ratione vitiosi pignoris sensit, reparetur; forte enim pignus hoc alteri dedit pignori, quod facere potuit, per *tit. C. Si pign. pignor. dat. & ea* propter a novo hoc creditore iudicio conventus, expensas facere necessum habuit, quod utiq; prior debitor refundere tenetur, præsertim cum dolus quoq; debitoris rem vitiosam oppignorantis coercendus sit. Illud autem facile largior, debitorem se ab hac actione liberare posse oblatione pignoris sufficientis, quia sic nullum amplius interesse allegare potest, nisi ut dictum, creditor occasione vitiosi pignoris expensas facere necessum habuerit.





00 A 6348

ULB Halle 3
002 927 950



58

VD 18

1377
Rehe ✓







37.
DISPUTATIO JURIDICA
DE
USU FORENSI
LIBRI XIII. DIGESTORUM

QVAM
ANNUENTE DEO
RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICENTISSIMO

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DN. PHILIPPO WILHELMO,
PRINCIPE BORUSSIAE, MARCHIONE BRAN-
DENB. ET CETERA,

PRAESIDE

DN. SAMVELE STRYKIO, JC^{TO},
SERENISSIMI ET POTENTISSIMI REGIS BORUSS
CONSILIARIO INTIMO, PROFESSORE PRIMARIO,
ET FACULTATIS JURIDICÆ
ORDINARIO,

IN AUDITORIO MAJORI
D. XVII Decembr, A. O. R. MDCC VII.

Publicæ Eruditorum disquisitioni submittit
CHRISTIAN DAVID SCHROEDER,
SVERINENSIS MECLENBURGICUS,

HALÆ MAGDEBVRGICAE,
Typis JOANN. GRVNERI, Acad. Typogr.